

4. Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 14 de reform. eos qui adversus hæc, in præsentī decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis contra simoniacos editis sacris canonibus, et variis summorum Pontificum constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit. S. Pius V Constit. *Durum nimis* 31 Maji 1570 declarat Episcopos contrahere suspensionem, capitula et collegia subjacere interdicto, et singulares personas incurrere excommunicationem Papæ reservatam. Item Innocentius XIII Constit. *Ecclesiæ* 22 Sept. 1695 adjungit pœnas ipso facto incurrendas, privationis dignitatum, canonicatum, præbendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum. An et quousque hæc censuræ subsistant, inquirendum est ex Constitutione Pii IX *Apostolicæ Sedis* Quarto Idus Octobris 1869, qua censuræ latæ sententiæ limitantur.

5. Quamvis igitur pro admissione ad canonicatum modo dicto nihil exigendum sit, et quamvis lex generalis etiam existat, ut beneficia sine diminutione conferantur; ex invecata tamen consuetudine Episcopus in collatione beneficiorum pensiones imponere potest. Episcopus auctoritate ordinaria pensiones perpetuas generaliter imponere non valet, obstante præfato principio, ut beneficia sine diminutione conferantur; ideoque pensiones considerari non possunt tanquam onera realia beneficio imposita, sed tanquam onera personalia imposita beneficiario. Regula etiam firma esse debet, ut pensio non imponatur beneficiario, cujus beneficium ad honestam tantum sustentationem sufficit, sed solis beneficiariis, qui pinguioribus gaudent beneficiis, ut indigentibus aliisque ecclesiæ optime meritis ministris subveniatur ex superfluis aliorum beneficiorum redditibus (1). Canonicus, cui in collatione canonicatus pensio solvenda imposita est, eam in conscientia solvere tenetur.

## CAPUT V.

## DE INAMOVIBILITATE ET DIMISSIONE CANONICORUM.

I. Canonici sunt perpetui et inamovibiles : canonicatus enim est beneficium, et beneficium est perpetuum (2). Unde inviti remo-

(1) Vid. Acta S. Sedis, 1868-1870, vol. IV, fol. 76 et vol. V, fol. 172.

(2) Fagnanus in I p. Decretal. de rescriptis c. *Ad audientiam*, n. 98; Reiffenstuel lib. III, tit. V, n. 9; Pyrrhus Corradus, *Praxis benef.* lib. I, cap. VI, n. 261; J. Devoti, *Instit. canon.* lib. 2, tit. XIV, § IV; Craisson, *Man. jur. can.* n. 551.

veri et canonicatu privari nequeunt, nisi servato juris ordine et juxta sacrorum canonum constitutiones, uti statuit Concilium Tridentinum sess. XXI, cap. VI de reform. et sess. XXIV, cap. XII, de reform. (1).

Num autem canonici honorarii sint perpetui et inamovibiles, Sacræ Rituum Congregationi expositum fuit 11 Septembris 1847 in *Valentin.* videlicet « Episcopus nonnullis sacerdotibus optime meritis indulgere facultatem gestandi eadem insignia, quibus canonici cathedralium decorantur, eosque canonicos honorarios decernere. Hi autem sacerdotes etsi præbendam non consequantur, nec actis capitularibus interveniant, jus tamen habent personaliter choro interessendi, quoties illis arriserit, et sedendi post canonicos titulares. Utrum nec ne sola voluntas Episcopi satis esset ad interdicenda prælaudata insignia, quando gravis ratio adesset judicio ipsius relinquenda, an potius quæstio ad forum esset trahenda? Sacra Congregatio, coadunata ordinariis in comitiis, audita super expositis plena relatione a Secretario facta, maturo ac diligenti examine adhibito, satius duxit rescribere : *Scribatur particulariter Episcopo juxta mentem,* quam quæstionem de jure dirimere. Quamvis enim, et hæc fuit Sacræ Congregationis mens, nulli dubium sit, atque in ipso jure fundatum, Episcopus ex se indignos posse ab honoribus, quos contulerint, repellere; quum tamen expoliatio hujusmodi quasi mortem civilem importet, et quamdam infamiæ notam sacerdoti inurat cum non minori certe populi scandalo, propterea Amplitudo Tua curet ad hæc non devenire, nisi quando sacerdotis indigna conversatio exigat, ut contra illam de more procedere necesse sit ad majora scandala prævenienda. » Licet igitur canonicorum honorariorum positio quamdam habeat inamovibilitatem, et sine gravi causa honor semel collatus eis auferri nequeat; Episcopus tamen ex gravi ratione simplici decreto canonicum honorarium revocare, et a canonicatu privare potest, prout quoad canonicum, de quo agit rescriptum S. R. C. factum esse refert Craisson n. 2245 (2).

II. Licet canonicus sit inamovibilis, quilibet tamen in manus legitimi superioris ex juxta causa renuntiare potest. Renuntiatio, resignatio, cessio, dimissio inter se confunduntur, et unum pro alio

(1) Craisson loco cit.

(2) De Angelis, *Prælect. jur. can.* lib. III, tit. VIII, n. 3.

passim sumitur. Renuntiatio est duplex : una pura seu simplex et absoluta, et alia conditionalis. Resignatio pura est illa, quæ fit sine ulla conditione, modo aut pacto, ut quando quis pure, absolute et simpliciter dimittit beneficium in manibus legitimi superioris, ita ut hic possit illud tanquam vacans conferre, cui voluerit. Resignatio autem conditionalis est illa, quæ fit sub certa conditione, pacto vel modo, v. g. in favorem certæ determinatæ personæ, sub conditione pensionis solvendæ, etc.

Resignatio ut sit licita et valida, requiritur : 1° ut sit spontanea et libera, non vi aut gravi metu extorta : alias vel ipso jure esset nulla et invalida, vel saltem ad partis petitionem rescindenda.

2° Sit pura et libera ab omni pacto vel conventionem dandi aliquod temporale (1).

3° Adsit justa causa; nam si quisque pro suo arbitrio beneficium suum relinquere posset, talis libertas in maximum ecclesiarum detrimentum cederet. Sex sunt causæ ad resignandum episcopatum, quæ enumerantur lib. I Decretal, tit. IX, cap. X, *Nisi cum pridem*, videlicet : *Debilis, ignarus, male conscius, irregularis : quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit*. Eadem pariter causæ sufficiunt ad resignanda inferiora beneficia; et prout declaravit S. Pius V in Const. *Quanta Ecclesia*, admitti possunt resignationes eorum, qui aut senio confecti sunt, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, censurisque ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt aut non debent ecclesiæ vel beneficio inservire, seu qui unum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quoad aliud contigerit promoveri, aut religionem ingressuri, quique ob capitales inimicitias nequeunt vel non audent in loco beneficii residere securi. Item resignationes generatim fieri possunt ex duplici capite : videlicet tum ob commodum ecclesiarum, quarum bono regimini utile aut quandoque etiam necesse est, fieri resignationem; tum ob propriam salutem resignantis, qui vel religionem ingredi cupit, vel resignando periculum animæ aut corporis, in loco beneficii sibi imminens, evitare desiderat (2).

4° A legitimo superiori acceptetur. Canonici propria auctoritate canonicatum dimittere non possunt, sed si illum dimittere voluerint, dimissio non valet, nisi a legitimo superiori acceptetur (3).

(1) Lucius Ferraris, *Resignatio* n. 54 et 55.

(2) Reiffenstuel, lib. I, tit. IX, n. 34-37, 43.

(3) Causa VII, q. 1, c. XIX, *Non oportet*; c. XXIII, *Si qui vero*; c. XXIV, *Si*

Resignatio pura sine ullo pacto aut conditione ab Episcopo admitti potest, resignatio autem conditionalis quæ fit cum reservatione pensionis, in favorem certæ personæ, aut sub alia conditione, ab Episcopo acceptari nequit, sed solum a Summo Pontifice, quia talis resignatio est jure prohibita et foret simoniaca, circa quod solus Papa ex plenitudine potestatis dispensare potest (1).

Vicarius generalis sine speciali Episcopi commissione resignationes admittere nequit : sicut enim ut statuitur in 6, lib. 1, tit. XIII, de officio Vicarii c. III, Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non potest, nisi beneficiorum collatio ipsi specialiter sit commissa, sic nec etiam sine speciali commissione resignationes recipere potest (2).

Resignatio etiam fieri non potest in manibus laici, etiamsi esset patronus, rex aut imperator, nisi habeat jus beneficia conferendi, et recipiendi tales resignationes ex privilegio Apostolico (3).

III. Inquirendum hic quoque est, an canonicus renuntiare valeat soli præbendæ, retinendo canonicatum ejusque jura? Ad quod affirmandum videtur : si enim canonicatus sine præbenda existere valeat, ut dicitur cap. XXIX, § 1, n. IV, et proinde unum sine altero accipi possit : sequitur præbendam dimitti posse, et canonicatum retineri cum juribus annexis. Id constat non tantum ex canonicis supranumerariis et honorariis, qui canonici censentur, etsi præbendis careant, sed etiam ex pluribus capitulis, v. g. in Hollandia, quorum canonici nulla fruuntur præbenda nec pensione, veri tamen sunt canonici, et ut tales omnia jura canonicalia exercent. Præterea singulariter id liquet ex omnibus Galliæ et Belgii capitulis, quorum canonici loco præbendæ pensionem a gubernio recipiunt : ista pensio quidem rationem præbendæ habet, ut dicitur cap. XXIX, § 2; si tamen gubernium cessaret solvere pensionem, omnes equidem veri remanerent canonici. Unde concludendum est, præbendam sine canonicatu resignari posse.

*quis presbyter*; Decretal. lib. 1, tit. IX de renuntiatione c. IV, *Admonet*; Scarfantonus lib. IV, tit. XVI, n. 41; Reiffenstuel lib. 1, tit. IX, n. 13; Lucius Ferraris *Resignatio*, n. 37. Vid. Acta S. Sedis, vol. XV, fol. 119 et sqq.

(1) Lucius Ferraris, *Resignatio* n. 38-56; Scarfantonus lib. IV, tit. XVI, n. 41-43.

(2) Benedictus XIV de Synodo, lib. II, c. VIII, n. II; Reiffenstuel lib. I, tit. IX, n. 6.

(3) Lib. I Decretal, tit. IX de renuntiatione, c. VIII. *Quod in dubiis*; Lucius Ferraris *Resignatio*, n. 36; Reiffenstuel lib. I, tit. IX, n. 5.

## CAPUT VI.

## DE GREMIO CAPITULI.

§ 1. *De capite capituli.*

Capitulum unum corpus sociale, civile seu morale constituit, cujus sub diverso respectu duplex est caput. Vel enim capitulum consideratur, quatenus est senatus ecclesie et consilium natum Episcopi, quo ipse utitur in administratione diocesana; et quatenus constituit gremium cleri cathedralis, qui Episcopo in functionibus pontificalibus ministrare tenetur: sub hoc respectu Episcopus est capituli caput, pars ipsius nobilissima, et vere de ejus corpore; ita ut Episcopus et canonici sint unum corpus, cujus Episcopus est caput principale, et canonici membra (1).

Vel capitulum consideratur ut corpus distinctum, habens propria sua jura et officia; et sub hoc respectu Episcopus non est ipsius caput, nec de ejus gremio, nec habet vocem in negotiis capitularibus. Ratio est juxta Scarfantonium (2), quia Episcopi sunt contradistincti, et segregati a capitulo. Secluso Episcopo capitulum est corpus integrum, aliudque habet caput proximum et immediatum, seu numerale, prout vocari solet, quatenus ille, qui caput est, primus est in numero sive in ordine eorum quibus constat capitulum. Hoc caput proximum est ille, qui gaudet jure capitulum convocandi, ei praesidendi, etc. quocumque nomine vocetur. Capite defuncto vel absente, remanet capitulum, et antiquior canonicus seu major de capitulo restat caput. Praefatum hoc caput est membrum nobilius ipsius capituli; canonici autem non dicuntur membra hujusmodi capitis (3).

(1) Fagnanus in 2 part. primi Decret. de off. Ordinarii, cap. *Irrefragabili*, § *Excessus*, n. 12 et seq. Item in 2 part. V lib. Decretal, cap. *Cum eo injuncto*, n. 24.

(2) Lib. IV, tit. 1, n. 20 cum aliis.

(3) Scarfantonus loco cit. n. 9-20; Andreucci *de tuenda pace* n. 14; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. 2; Craisson Manuale jur. can. n. 2163-2165.

§ 2. *De personis ex quibus constat capitulum.*

1. Soli canonici de jure capitulum faciunt, ac unum corpus constituunt, iique soli proprie membra capituli dicuntur (1).

2. Licet Episcopus sit caput principale capituli, ut in § praeced. dictum est, proprie tamen et stricte loquendo, non venit nomine capituli, neque dicitur esse de capitulo (2). Nisi cum dispensatione Apostolica simul sit canonicus, seu praebenda canonicalis unita sit mensae Episcopali (3).

3. Vicarius generalis, qua talis, nisi aliunde sit canonicus, non est de capitulo, neque de eodem esse potest. Ratio est, quia canonici sunt inamovibiles, et vicarius generalis est amovibilis ad nutum Episcopi (4).

4. Dignitates de jure communi non sunt de capitulo, nisi simul sint canonici, sive praebenda canonicalis dignitati annexa sit, vel nisi ex speciali statuto aut consuetudine tales habeantur (5).

5. Canonici honorarii non veniunt nomine capituli, neque coadjutores canonicorum, quia non sunt veri canonici.

6. Neque jure communi de capitulo sunt mansionarii, portionarii, beneficiarii, capellani, vicarii alique similes, ut postea in propriis locis dicetur. Hi quidem omnes certo modo spectant ad capitulum, et tanquam tales choro assistunt, idem recitant officium, missam conventualem celebrant etc. quae omnia extraneis non licent: de jure tamen non sunt proprie de capitulo, neque membra ejus; sicut non tantum domestici, sed etiam personae honoratae in certis familiis reperiuntur, quae licet spectent ad familiam, proprie tamen de familia non sunt, neque eandem familiam efficiunt (6).

(1) Scarfantonus lib. 1, tit. 3, animadv. 9, et tit. 4, n. 1; Barbosa de canonicis cap. 37, n. 15; Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 4 et 5.

(2) Scarfantonus lib. 4, tit. 1, n. 19; Louvrex dissertat. 18, n. 44; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. 1, n. 1.

(3) Scarfantonus ibidem n. 26.

(4) Bouix loco cit. n. III; Analecta juris Pontificii, 1862, 6 sér. fol. 2013.

(5) S. R. C. 26 Aug. 1713, *Majoricen.* 1; S. C. C. 11 jan. 1766, Tolen. Arch. § 22, apud Zamboni tom. 4 Dignitas ecclesiast. Fagnanus in 2 p. primi Decretal. de Election. cap. *Nullus*, n. 43; Louvrex dissert. 18, n. 45-47; Bouix de capitulis, p. 1, sect. 2, cap. 1; Scarfantonus lib. II, tit. 13, animadv. 2; De Angelis lib. III, tit. XI, n. 2.

(6) De Angelis loco cit.